



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Haibach.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

HAIBACH.

COLLEGIATA Ecclesia in radicibus Alpium, non procul à Murnau & Weilheim, fundatur à NORTBERTO, Comite Hohenvvartenfi, ex familia Andecensium Comitum, qui fuit Præpositus olim Cathedralis Augustensis Ecclesiæ, postea Episcopus Curien. factus, largitionibus magis, quàm iusta electione; cui tamen sex annis vtiliter præfuit, vt Catalogus illorum Episcoporum habet.

Ex Episcopatu illo per Hermannum Saxonum Ducem, post Rudolphum, ab Episcopis quibusdam in Imperatorem electum, Anno Domini 1085. deturbatus, Monasterium Haibacense de suis edificans ibidem mortuus est, Anno 1087.

PATER huius Episcopi Rapoto, mater Hemma, frater Ortolphus, soror Wiltruda, fundatores Hohenvvartenfis Monasterij, vt ibidem latius.

EXTAT DIPLOMA HVIVS FVNDATIONIS,

cuius tenor sequitur:

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Notum esse volo fidelibus Christianis, presentibus & futuris, qualiter ego Nortpertus, gratia Dei Præfuit Curienfis, petij Adalberonem, liberum & ingenuum hominem, vt solenni traditione traderet super altare S. Mariæ in Augusta ciuitate, proprium meum Monasterium Hegibach, quod in manum ipsius tradideram, cum manu Aduocati mei Gebinonis, liberi hominis & ingenui. Hoc Monasterium Hegibach, in meo proprio & hereditario agro situm, in Boiarico Ducatu, in pago Hufin, in Comitatu Sigemari Comitum, conditum & dedicatum in honore S. Vdallici Confessoris, me petente, libera manu tradidit idem prædictus Adalbero super altare sanctæ Mariæ, cum omnibus vtensilibus, ad id iure pertinentibus, in mancipiis vtriusque sexus, Ecclesiis, decimis, vineis, terris, cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, syluis, venationibus, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis, inuis, exitibus & redbibus, quæstis & inquirendis, ac cum omni vtilitate, quæ vllomodo inde prouenire potest, dedit & donauit Augustensi Ecclesiæ insolubili iure tenendi. Eo autem pacto hanc traditionem effeci, vt Præpositus Canonorum, in prædicto Monasterio Hegibach regulariter commanentium, quotannis tribuat bisantium vnum super altare S. Mariæ in vrbe Augusta, & hoc censu persoluto, sit illud Monasterium, Hegibach liberum ab omni exactione, nèue Episcopus, nèue Aduocatus, nec quælibet persona ab eodem Monasterio exigat plura donaria vel seruitia, neq; vllam calamitatem & inquietudinem eidem loco inferat. Præterea pactum, hoc firmum esse volo, inter me & Episcopum sedis Augustæ, vt præfatum Monasterium Hegibach, me viuente, nemo Præpositus adeat, præter quem ego petiero ab Episcopo sedis Augustæ. Volo etiam pactum hoc inconuulsam & stabile in tempora futura manere, vt in præfato Monasterio Hægibach nemo præsumat nomine Reëtoris subintrare, qui non sit oriundo natus ex mea cognatione. Sed si qui sint in cognatione mea sapientes & literati, inter eos, qui me propius attingit, genere, defuncto Reëtore & Præposito, succedat ibidem Reëtor & Præpositus. Si verò, quod absit, ex stirpe nostra vir industrius & idoneus defecerit, prouideat Episcopus Augustensis libera potestate virum idoneum, qui iura Canonica sciat, & valeat ibidem regulariter administrare. Complacuerit nobis, vt Cœnobialis vita eiusdem loci in mea potestate posita sit, dum viuo & ibidem Deo seruientes teneant instituta regulæ, quæ dederam eis.

Metrop. Salisb. Tom. II.

K k

Et si

Et si mihi visum fuerit, vt ad alia & meliora instituta transeant, iuxta meum arbitrium & meam voluntatem hæc omnia fiant. Hoc quoque placitum constat inter me & Episcopum Augustensem, vt, dum viuo, nemo habeat aduocationem illius loci, præter eum, quem petiero eiusdem loci defensorem & Aduocatum fieri. In futura quoque tempora hoc volo ratum & inconvulsum manere, vt aliquis de cognatione mea liber & ingenuus valens & industrius aduocationem illam sibi præcipere valeat. Si quis autem Aduocatus eiusdem Ecclesiæ bona diripere præsumperit, & vastare locum institerit, potestatiuè depellat eum Augustæ sedis Episcopus, & digniorem eo subroget in eandem Aduocatiã, Si quis in genere meo fuerit illo dignior inuentus; Sin ita futurum est, vt de genere meo deficiat vir clarus & industrius, ac timens Deum, aliunde quæratur Aduocatus ingenuus & idoneus, & qui timeat Deum.

SI VERÒ Episcopus & Aduocatus in simul hæc mea statuta euellere & infringere temptauerint, quisquis hæres meus natu mihi proximus extiterit, liberam potestatem habeat, Bisantios duos tribuere super altare S. Mariæ, & præfatum Monasterium Hegibach in suam proprietatem recipere & ab iniuriis exactiõibus illud defendere. Si verò, quod absit, & Episcopus & Aduocatus, & cognati mei conspirauerint, hæc statuta mea euellere, & præfato Monasterio calumniam inferre, & si hanc conspirationem opere adimpleuerint, nisi infra sex Mensium spatia Episcopus ille, monitus ab aliqua digna persona, Monasterium idem restituerit liberum & illasum, vt fuit prius, liberam & iustam potestatem habeat Rex & Imperator, quicumque temporum eorundem Rex & Imperator fuerit, vt idem Monasterium in tutelam suam recipiat, datis pro eo duobus Bisantiis super altare S. Mariæ, & Imperiali patrocinio liberum hoc custodiat, & à calamitosiis iniuriis defendat. Testes per aurem tracti, qui viderunt & audierunt hæc, subter annotati sunt, Waltchun de Röchelgingin, Hartvvic de Heinricheshouen, Kuenrad de Lutevane, Alberich de Wagenhouen, Diethmar de Lengingmos, Engelschalck de Radelftorf, Friderich de Stoupha, Burchart de Pancingen, Adalbero de Chisingen, Wolstrigil, Gotebold, Rontprecht de Tierdorf, Gebhart, Gebino, Conrat, Sigvart, Egilolf, Schvvigger; seruientes verò Episcopo, qui viderant & audierant hæc, isti sunt, Adalgotz, Luitfrid, Gerunc, Hildepold, &c. Canonici verò de S. Mariæ Monasterio, qui viderunt & audierunt, isti sunt, Ericharich Decanus, Ruodolph Vicedominus, Aizzo, &c. Facta est traditio hæc, presente Domino Sigefrido secundo, Augustæ sedis Episcopo, anno Episcopatus eius octauo, ab incarnatione Domini M. LXXXV. Indictione octaua, quinto Kalendas Martij Curieñ. Episcopi anno sexto: Domini autem Heinrichi inuictissimi Regis quarti, gloriosissimi Imperatoris III. Anno XXIX. Acta in ciuitate Augusta foeliciter.

Confirmat hanc fundationem Ludouicus IV. Imp. Monachij an. 1331. Cal. Dec. Regni anno 17. Imperij 4. Ex libro fundationum Monasterio in aliquot Bauariæ, &c. scripto in Dithrami Zella.

NOBILES de Seeueld, Aduocati huius Ecclesiæ, propter plurima illata grauamina, per Ludouicum Imperatorem, oblatis duobus Bisantiis, ad altare S. Mariæ Augustæ, iuxta tenorem primæ foundationis, priuati sunt Aduocati. Qui dedit eis Aduocatum, Præpositum nouæ suæ plantationis & claustrum Etal, cui annuatim persoluerent 24. mensuras auenæ Weilhaimensis mensuræ, & 12. agnellos eius anni, ac sic ab omni exactiõne & seruitio liberi essent. Datum earum literarum Ludouici Imperatoris Augustæ, Anno 1332. in die Philippi & Iacobi, anno regni XVIII. Imperij.

ADDITIONES.

Donatio fundatorum Coloniensis.

Omnia agnitioni certe pateat, quemadmodum *Nothpertus* Præsul *Curienfis* pro æterna retributione quasdam sui hæreditarias proprietates, id est villam *Heibach*

Heibach cum tribus viculis ex filua adiacente cultis, & cum omni territorio suo, & prædium quod dicitur *Riet* & *Hubam* dimidiam ad *Arnoltesriedt*, iuxta lacum *Wirmsee* & ad *Eberoluingen* *Hubam* dimidiam, ad *Ougelst* sextam partem Ecclesiæ, & tale prædium quale ad *Oberenperues* habuit, & vineam ad *Pausanum* cum omnibus vtilitatibus ad ea ritè pertinentibus, hoc est mancipiis vtriusque sexus cultis & incultis, siluis, quæsitis & inquirendis, cunctisque aliis adpendiciis ad monasterium sancti *Vdalrici* Episcopi in prædicta villa *Heibach* à præfato Præsule *Nortperto* in Dei nomine iniiciatum & constructum tradidit, ea videlicet ratione, vt fratribus inibi militantibus Deo in quantum ex eisdem bonis prouideri possit ad diuinum officium peragendum victus & vestitus singulis annis subministrantur. Separauit autem in traditione *Adalperonem* de *Machtinstaine* à cætera familia cum filiis & filiabus suis, & *Adelwardum* cum *Vzino* filio suo & *Pezelinum* & *Hartuicum* fratres, quia illos ministros Ecclesiæ eiusdem statuit, & vt per omnia æquales in lege & iure æquitatis illorum ministris ad *Stauen* se pertinentibus essent, similiter agricolas *Heibacenses* in iustitia sua agricolis *Staphensibus* per omnia æquiparauit. Item prædictus Præsul quosdam proprietates seruos & ancillas à se acquisitas pari traditione ad præfatum monasterium, id est Ecclesiam totam ad *Sulzemmos* cum prædio ex *Amelperto* coempto nobili viro, ad *Holzburch* prædium quoddam Ecclesiæ dimidiam ad *Epsenhufen* cum omnibus vtilitatibus. Partem quartam Ecclesiæ ad *Houesteten* & agrum vnum, ad *Tainingen* prædium vnum & octauam partem Ecclesiæ *Dyoceseos* & agrum ab *Wichmanne* emptum *Biburch* *Widingen* dimidiam partem in agris, pratis, siluis, & omnibus vtilitatibus. Ecclesiam dimidiam ad *Mamenhouen* cum tribus iugis in vnoquoque territorio. Ad *Hattenhouen* prædium quoddam, ad *Hobendorf* Ecclesiam totam cum decima, prædium *Langennorva* cum terminis & omni territorio suo. Ad *Sindelestorf* prædium vnum. Ad *Habechrue* *Gerratesriet* & prata quædam satis optima. *Reginprahetesriet*, *Stainperch*, *Hadeprateshusen* cum omni territorio. Ad *Lvvbeshalt* prædium cum omnibus vtilitatibus suis. Ad *Secheringen* proprietatem *Vfshalci*. Ad *Hugolfingen* villicationem tradidit presentibus Canonicis eiusdem loci & *Sigemaro* defensore traditionem accipiente. Testes nobiles *Gebeno* de *Rotse*, & *Fridrich* fratres, *Adalpero* de *Sestren*. *Ato* de *Ebroluingen*, *Adalbero* de *Sindelestores*, *Boppo* de *Wineden*, *Magenes* de *Loehufen*, *Rudolf* de *Vvvelsteten*, *Wezel* de *Egoluingen* & *Hartuich* *Egenolf* de *Chumездorf*, *Hainrich* de *Tietenhusen*, *Vdalrich* de *Sueuia*, *Ilfunch* de *Telues*, *Gochalm* & alij quam plures. Anno incarnationis Domini Millesimo *LXXXIII*. Indictione *VI*. Regnante autem *Hainrico* Imperatore *Heinrici* Imperatoris filio, traditio facta est.

In nomine Sanctę & Indiuiduę Trinitatis eiusdem inseparabilis vnitatis. Nouerint omnes fideles Christi presentes & futuri qualiter ego *Herimannus Augustensis* Ecclesię Præsul indignus, quoddam prædium in *Sulzimos* situm, à *Schirensibus* monachis per manum aduocati eorum *Ottonis* Palatini Comitis pro quibusdam decimis, legitima commutatione nobis contraditum, nos delegari fecimus per manum *Wernberi* Aduocati nostri, ad altare sancti *Vdalrici* in *Hegebach* pro ampliando præbendali stipendio fratrum ibidem Deo & sanctis eius famulantium consilio & subscriptione fratrum nostrorum *Aug.* Canonicorum & ob fidele seruitium dilecti filij & Archidiaconi nostri *Hildiberti* eiusdem loci Præpositi. Præterea quandam Ecclesiæ nostrę ancillam nomine *Grannevvi* *bam* & filium eius *Megenhardum* cum sorore sua *Richilda*, quos ipse à nobis beneficii jure habuit, delegauimus ad ipsum supradictum altare, ipsis hoc perentibus, ea videlicet conditione, vt à nullo illius loci Præposito queant alicui in-

beneficium præstari scilicet: prædia fratrum Ecclesiæ supradictæ possideant & excolant & communi eorum vsui deseruiant. Vt autem hæc traditio stabilis & inconuulsa permaneat, hanc cartam conscribi & sigillo nostro consignari fecimus. Testes sunt huius rei ex Canonicis Chonrad Vicedominus & Præpositus Werenher. Dec. Sigiboto Vto Archidiaconi, Helembrecht Præpositus de Wise . . . Ex militibus Wernher Aduocati filius, Friderich de Schiringen., Heinrich & frater eius Dietprecht de Gnozzisheim. Ex ministerialibus Marquart Cammer Sigevvin, Vdalrich, Otto, Heinrich, Eppo & alij quam plurimi. Actum est Dom. M. C. XXX. Indictione . . . Præsidente P. P. Honorio. & Regnante Lothario Rom. Rege.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Quia memoriam hominum secum rapit labentium temporum cursus, inuenta sunt comoda scripturarum, ne lites iudicio vel concordia terminate in recidiuæ contentionis scrupulum relabantur. Notum igitur esse cupimus præsentibus & futuris omnibus præsentium paginam inspecturis, quod Ego Comes Perhtoldus de Eschiloch & frater meus Comes Heinrich de Lichteneke diuina amoniti inspiratione, super lite & contentione quæ vertebatur inter nos & Ecclesiæ Heibacensem pro Ecclesia in Ruchesse, quam ipsi tempore Sifridi Augusten. Episcopi, & de consilio & consensu Capituli eiusdem adepti sunt, sed longè contra voluntatem nostrâ, quia nobis videbatur Ius patronatus eiusdem Ecclesiæ ad nos pertinuisse, sicut intellexeramus à parentibus & ab antecessoribus nostris, vnde indignati sumus contra ipsos & grauati sumus ex parte nostra, in decimis, in dote, rã diu quod ad quarimoniam ipsorum positi fuimus sub interdico, nos & homines nostri. Processu verò temporis ad instantiam Domini Hainrici de Wilbaim Aduocati eiusdem Ecclesiæ bonorum virorum, & præcipuè intuitu Dei & pro remedio animæ nostræ & omnium parentum nostrorum concessimus, quod lis & contentio nostra sopita est, tali cõditione, quod omni iure nostro, quod habere credebamus, abrenunciauimus & contradiximus & contulimus prædictæ Heibacens. Ecclesiæ, perpetuo possidendâ & Canonicorum vsui ibidẽ Deo seruientium profuturam, tali exceptione, quod nos pro tempore vitæ nostræ & omnes hæredes nostri pleno iure Aduocatiæ prædictæ Ecclesiæ in Ruchesse, liberè & quietè vti debeamus, & hoc ita care, sicut diligamus animas nostras, & vtilitas conseruemus, ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus. Amen. Vt autè factum nostrum stabile permaneret, & nec posset à posteris seu ab hæredibus nostris infirmari, literarum nostrarum volumus & sigilli nostri munimine roborari. Actum publicè M. CC. XLVI. incarnati verbi año. Testes igitur ex parte nostra Perhtoldus fili⁹ Comitis Perhtoldi, Heinrich de Seeueldt, . . . ber . . . Hainricus miles de Hufen . . . Dietricus, Meinfridus Pe Perhtoldus de Egoluingen . . . comitis . . . & alij quã plures. Testes ex parte Ecclesiæ Dominus Eberhardus Canonicus Frisingen. & frater Aduocati, Canonici Heibacens. Hermanus Plebanus de Sulzemos, Perhtoldus, Rudolfus, Vlrucus, Hainricus, Sacerdotes Canonici Heibacens. Scholasticus eiusdẽ Hainricus, Hainricus miles eiusdẽ, Heinrich cognomine Atterstain, Perhtoldus Dectors, Wernherus, Chunradus Zozel, Bernhardus, Otto, Wichmã, Vlruch, Hainrich, Perhtold, Hainrich, Friderich, & alij quam plures.

Confirmat hanc
Ces. Ludouicus
approbationem
& confirmationem
filium eius
Ludouicus
Marchio

LVDVICVS quartus Dei gratia., Romanorum Imperator semper Augustus ad perpetuam rei memoriam. Desiderij votum celsæ celsitudinis nostræ, tunc nempe saturator ad plenum, cum pie considerationis studio Imperialis sollertia deuotorum imperij augmentat commoda & honores, hoc et si cunctis summopere ex commissa nobis administrationis debito cupidis animis facere teneamur, fortius tamen non dubium diuinis personis dedicatis obsequiis, ob eorum benemerita, cum eius sint serui, per quem Reges regnant, & Principes

Principes in gentibus dominantur, ad id feruentius astringimur faciendum. No-
 strum igitur cordis volumina jugi meditatione volentes, pio pensamus affectu,
 quantis tribulationum miseris, quantisque oppressionum molestiis Monaste-
 rium Ecclesia in *Hebach* situatum in Ducatu nostro *Banaria*, Diocef. *Aug.* con-
 tra primæuam ipsius institutionem, per viros nobiles vniuersos de *Seuelt*, qui
 ipsius Ecclesiæ aduocatos jam multis annis quamquam minus dignè se adscri-
 pserunt, & eorum subditos contra Deum & iustitiam incessanter opprimitur,
 hoc veluti præcipuum ponderantes, quod ipsum Monasterium seu Ecclesia per
 quondam venerabilem *Nortpertum* præfulem *Curiensem* fundatorem eiusdem
 hac conditione modo & pacto fuit constructa, jure quoque aduocatio sit sup-
 posita & submissa: Quod si aduocatus ille qui pro tempore fuerit ipsam Eccle-
 siam seu personas ibidem Deo famulantes iniuste grauauerit, ipsam in perso-
 nis, bonis & rebus ultra debitum molestauerit, Tunc ipsi . . Præpositus, Deca-
 nus & Capitulum hoc sentientes, proclamare poterunt ad eum, qui tunc Præ-
 sul *Aug.* extiterit, qui ipsis infra spacium sex mensium alium legalem & hone-
 stum hominem pro aduocato tenebitur instituire. Quod si Præsul ille facere
 neglexerit, & forsan collusus cum aduocato malefico, ad ipsius potius destru-
 ctionem Ecclesiæ quam releuationem intenderet, post hoc nos vel is qui pro
 tempore Rex vel Imperator Romanorum extiterit, si idem Præpositus . . De-
 canus & Capitulum ad nos proclamauerint, datis per eos super altare beatæ
 Mariæ Virginis duobus Pisantinis ab Episcopo *August.* & omni Aduocatorum
 potestate solutam penitus Aduocatiā dictæ Ecclesiæ nobis & Imperio attra-
 here possumus & debemus. Deiac suę genitricis beatæ Virginis Mariæ intuitu,
 nec non ob remedium animarum progenitorum nostrorum, & salutem pro-
 priam cupientes dictam Ecclesiam perpetua pacis tranquillitate gaudere, vt
 ipsa Ecclesia à tam iniquis in antea Aduocatorum oppressionibus liberetur,
 Venerabilem Vlicum electum & confirmatum Ecclesię *August.* nostrum &
 Imperij Principem deuotum, cum, vt prædicatur, præfati de *Seueld* propter in-
 tollerabiles eorum excessus, aduocatiā ipsius Ecclesiæ penitus reddiderint se
 indignos, pro ipsis, Præposito . . Decano & Capitulo, & ad eorum requisitio-
 nem instantem interpellauimus, & ab eo requisiuimus humiliter & deuote, vt
 ipsis aduocatum aliquem honestum, pium, legalem, & mansuetum hominem
 institueret, prout ex ipsorum prima fundatione suo officio incumberebat. Qui
 veluti pastor diligens gregem suum non deferens, de excessibus & grauamini-
 bus dictorum de *Seuelt* diligentissima inquisitione præmissa, nec non matura
 deliberatione valde præhabita, de consensu & voluntate nostra præfato Mona-
 stero seu Ecclesiæ in *Hebach*, personis, bonis hominibus, rebus & possessioni-
 bus ipsi Ecclesiæ pertinentibus vniuersis, ipsam ab omni aliorum quorumcun-
 que etiam Aduocatorum potestate penitus eximendo, Honorabilem Magi-
 strum Monasterij Sanctæ Mariæ in *Etal*, diocesis *Aug.* nouæ structuræ nostræ,
 qui nunc est, aut eum qui pro tempore fuerit, Aduocatum seu defensorem di-
 cti Monasterij instituit, & etiam de cætero valido perpetue ordinauit modis
 tamen & condicionibus adiectis infra scriptis, videlicet quod idem Præpositus
 . . Decanus & Capitulum Ecclesiæ in *Hebach* prædicto, præfato Magistro & ipsi
 Monasterio in *Etal*, ad Granarium suum in *Murnauu*, in signum defensionis, &
 pro jure aduocatiō annuatim dare debent in festo Beati Martini XXIV. mo-
 dias auenæ mensuræ oppidi nostri in *Weilheim*, & XII. oves eiusdem anni, vl-
 tra id nulli omnino hominum ad quodcumque seruitium præstandum directè
 vel indirectè quouis quæsito colore quomodolibet obligatur, nullaque fodra,
 collectas, exactiones vel steuuras, ipsi, vel ipsorum homines dare debebunt.

Brandem-
 burg Ec.
 feria tertia
 ante diem
 S. Dionysij
 An. Da.
 1313. Item
 renouauit
 Serenissi-
 mus Boior.
 Dux Guli-
 elmus, Mo-
 nachij, in
 sigilla SS.
 Apostolorū
 Simonis &
 Iude An.
 1587.
 Hegibach

Hegibach

occasione quacunque, exceptis duntaxat censibus suprascriptis, vel quemadmodum continuo nostris in votis gerimus, vt locis diuino cultui dedicatis, quietis & pacis cenaculum preparemus inducti & allecti precibus . . . Præpositi, Decani & Capituli prædictorum ad gestorum pleniorum firmitatem atque robur, dictam aduocati institutionem seu ordinationem præsentis scripti patrocinio perpetuè valituro roborantes, ipsam approbamus, ratificamus, ac etiam in Dei nomine confirmamus, Vniuersis & singulis Ducibus, Comitibus, Baronibus, Magnatibus, Nobilibus & ignobilibus, nostrisque in Imperio, & etiam, Ducatus *Bauariæ* officialibus, cæterisque Imperij fidelibus quibuscumque, cuiuscumque status seu condicionis existent districtius inhibentes, ne dictum Monasterium seu Ecclesiam, personas ac homines ei pertinentes quouis modo ultra præmissa molestant, impediunt, ac perturbent quicquam ab eis etiam occasione quacunque quomodolibet exigendo aut grauando aliàs sicuti Dei & nostram diram voluerint evitare vlcionem. Hoc ipsis semper refugij remedio reseruato, quod si Aduocatus prædictus qui nunc est aut pro tempore fuerit, ipsos ultra præmissa plus debito grauauerit aut molestauerit in personis, hominibus, bonis, rebus aut personis eorundem ipsi ex tunc optionem habeant ab Episcopo August. qui similiter pro tempore fuerit, Aduocatum alium postulandi. Qui si aduocatum eis dare neglexerit habebunt procedere iuxta formam in ipsorum institutione eis traditam & concessam cui institutioni seu foundationi per hanc ordinationem nullatenus derogetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis & approbationis paginam, infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit præter nostram indignationem poenam XX. librarum auri puri, quarum medietatem fisco id est nostræ Imperiali cameræ, reliquam verò iniuriam passis applicari volumus, ipso facto se nouerit incursum, in cuius rei testimonium præsentis conscribi & nostræ maiestatis sigillo iussimus communiti. Datum Aug. An. Domini M. CCC. XXXII. In die beatorum Philippi & Iacobi apostolorum. Regni nostri anno XVIII. Imperij vero quinto.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei dilectis filiis Capitulo Ecclesie sancti Vdalrici in *Hevrbach Augusten*. Diocel. Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia vel alia indulta, vobis & Ecclesie vestre, quæ *Maguntin*. Prouinciæ existit illiusq; mensæ Capitulari concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum, à Regibus & Principibus ac aliis Christi fidelibus, vobis & eisdem Ecclesie & mensæ rationabiliter indultas, specialiter autem decimas, primitias, fructus, redditus, prouentus, grangias, domos, terras, possessiones, aliq; mobilia & imobilia bona ad Ecclesiam & mensam prædictas legitimè spectantia, nec non S. *Stephani* in *Ruegse*, & S. *Ioannis Baptistæ* in *Hofhaim*, & S. *Georgij* in *Sindelstorf*, nec non S. *Martini* in *Durrenhausen* ac beatæ *Mariæ* Virginis in *Inchendorf* parochiales Ecclesias & Capellam beatæ *Mariæ* in *Rain Aug. Dioc.* eiusdem prouinciæ, quas cum omnibus iuribus & pertinentiis suis Ecclesie S. Vdalrici seu mensæ prædictis canonicè unitas esse asseritis, sicut ea omnia iuste & pacifice possidetis, vobis & per vos Ecclesie S. Vdalrici & mensæ prædictis, auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio comunimus. Salua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confir-

confirmationis & communicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo primo. Quinto Idus Octobris Pontificatus nostri anno octavo.

S. Serrano.

Ach de Maffeis

A de Balla panibus

Io, Vittor.

Catalogum Præpositorum Hæbacensium, hætenus nulla prætermissa indagandi diligentia, consequi non potui. Culpam an temporum iniuriæ, an verius fœcordiæ posteritatis adscribam, in medio relinquo.

NEtamen nihil omnino adferam; commemorabo vna cum vetustioribus nonnullis, à moderno Dn. Præposito mihi subministratis, recentiores, & quos noui ego Præpositos; viros tales, quorum memoria nulla obliuione obriui debet.

BERCHTOLDVS Truchfās de Kùllental, Decan. Cathedral. Augustan. Præpositus Hæbacensis.

IOHANNES Wiltzgeförch Decretor, L. Archidiaconus Augustan. Præpos. Hæbaceñ. circ. an. Dñi 1403.

LEONARDVS Gafsl Decretorum L. Archidiaconus August. an. 1452.

PETRVS Biechler Canonic. Cathedral. Augustan. sub an. 1480.

VDALRICVS Riederer, Præpos. Hæbacensis an 1511.

CONRADVS Hofer Capellanus aulicus & eleemosynarius Ducum Bauar. an. 1562.

GABRIEL Lafentaler confessarius Ser^mæ Princ. Annæ Alberti V. viduæ Austriæ Archduc. an. 1592.

MATTHÆVS Alchamer Ser^mo Duc. Guiljelmo. à sacris, &c. an. 1595.

ALBERTVS Hungerus SS. Theolog. Doctor, Ser^morum Boiariæ Ducum Confiliarius, Academia Ingolstadien. Procancellarius, Professor primarius, Canonicus Cathedral. Eccles. Passauien. &c. an. 1602.

HENRICVS Anslaus Anglus, S. Theol. L. Ser^morum Boiariorum Ducū Guiljelmi & Maximiliani Sacellanus, Confiliarius & Canon. Ducalis Eccles. Collegiatæ ad D. Virginem Monachij, præposituram adeptus an. 1604. adhuc superstes.

Heilig Berg ANDEX. Vide ibi, An dex.

HOCHENVVART MONASTERIUM
MONIALIUM MORDINIS S. BENEDICTI.

SECVNDVM Ioan. Auent. Sumuntorium vel Alta specula, celebris olim arx Comitum Andecen. & Taurensum. qui inter Halam & Oenipontē antiquitus habitantes, inde hoc Monasterium in hodiernum diem certos habet redditus, nempe ex villa Thaur. &c. Ab hac arce quoque Comites de Alta specula vel Hochenvvartenses dicti (arcem etiam Schrobenufsianam condidisse perhibentur) nunc verò Monialium Benedictinæ professionis & Augustanæ Dioc-

Kk 4

ceseos